

# Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 247

Gregorius Dei gratia diaconus cardinalis reverendo fratri et unanimi amico Wibaldo Stabulensi abbati salutem et qua nichil est carius caritatem. Quia inter ceteros regni abbates personam vestram quadam prerogativa dilectionis nobis univimus, ad honoris vestri gloriam et exaltationem, divina nos comitante gratia, efficaciter operam dedimus. Evidem secundum desiderium vestrum et preces personam vestram mater vestra sancta Romana aecclesia oleo exultationis exhilarat, episcopalia vobis insignia concedens, ut vere Stabulensis gemino dignitatis ornatu fulgeat, abbatis et episcopi, qui pre consortibus suis ampliorem matris meruit dilectionem. Ysaac pater noster senuit, Rebecca tamen ministrat ei. Agite igitur, ut mater recognoscatur in filio per quod filius recognoscetur a multis. Anulum vobis legatus apostolicae sedis Gerhardus a diaconus cardinalis portabit, qui vos tanta gratia investiet et apostolico munimine roborabit. Nos vero in vestris oportunitatibus tanto sollicitum esse perpendite, quanto amiciciae virtus in causa amici non potest esse ociosa. De aliis petpcionibus vestris legatus vobis justiciam faciet, cuius discretioni Teutonicorum commisso sunt legiones.